



SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE **BOLLETTINO**

HOLY SEE PRESS OFFICE BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIÈGE PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE SALA DE IMPRENSA DA SANTA SÉ
BIURO PRASOWE STOLICY APOSTOLSKIEJ دار الصحافة التابعة للكرسي الرسولي

N. 241129d

Friday 29.11.2024

Letter of the Holy Father to the special envoy to the Second International Congress of “Hermandades y Piedad Popular” in Seville

On 18 May 2024, the Holy Father appointed His Excellency Archbishop Edgar Peña Parra, Substitute for General Affairs of the Secretariat of State, as his special envoy to the opening ceremony of the Second International Congress of “Hermandades y Piedad Popular”, taking place in Seville, Spain, on 4 December 2024.

The special envoy will be accompanied by a Pontifical Mission composed of the following ecclesiastics:

1. The Reverend José María Losada Lahera, judicial vicar of the archdiocese of Seville;
2. The Reverend Isacio Siguero Muñoz, secretary general – chancellor of the archdiocese of Seville.

The following is the Holy Father’s letter to the special envoy, His Excellency Archbishop Edgar Peña Parra:

Letter of the Holy Father

Venerabili Fratri

EDGARIO PEÑA PARRA

Archiepiscopo titulo Teleptensi

Substituto pro Negotiis generalibus Secretariae Status

Christi claritate omnes homines exoptans illuminare Mater Ecclesia, cum «sit in Christo veluti sacramentum seu signum et instrumentum intimae cum Deo unionis totiusque generis humani unitatis» (*Lumen gentium* 1), opus

est Eam denuo etiam per Confraternitates evangelizare pergere, quae lumen, redemptionem et gratiam Salvatoris cunctis afferant (cfr. s. Ioannes Paulus II, *Iubilaeum Internationale Confraternitatum*, I Aprilis MCMLXXXIV). Persuasum enim habemus popularem pietatem nostrae aetatis hominibus mulieribusque vim valde evangelizationis efficacem constituere (cfr. *Evangelii gaudium* 126), quaeque porro «aliquam Dei sitim portendit, quam simplices pauperesque spiritu uni possunt experiri; hominibus tribuit facultatem sese devovendi et strenue impendendi ad apicem usque virtutis, cum de fide profitenda agatur» (s. Paulus VI, *Evangelii nuntiandi* 48).

Qua Evangelii cor nostrum alentis vel sustentantis conscientia animati, in universae Ecclesiae necessitatum studium incumbentes, potissimum laetamur de II Congressu Internationali Confraternitatum atque Popularis Pietatis, qui, argenteo exacto anniversario a prima ipsius celebratione, praeclara in urbe Hispali proximo mense Decembri agatur.

Tantam ergo recolentes occasionem, ut inter sollemnia perfrui possent christifideles praesentia ac verbo alicuius Excellentissimi Viri, qui Nostras vices ibi gerat atque erga istum Congressum dilectionem Nostram manifestet, Venerabilis Fratris Iosephi Angeli Saiz Meneses, Archiepiscopi metropolitae Hispalensis, humanissimae petitioni concedentes, ad Te, Venerabilis Frater, mentem Nostram vertimus, qui cotidiano in Nostro ministerio exercendo pervalidum Nobis praestas auxilium ac praecipua pietatis populorum Hispanicorum optime comperis, ut hodie peraptus videaris hanc ad legationem obeundam. Idcirco, hisce Litteris Te **Missum Extraordinarium Nostrum** nominamus ad sollemnia, quae proximo die IV mensis Decembris Hispali incipientur, qui etiam in historia cuncti sancti populi Dei pietatis peculiari insignitur significatione.

Libenter, ergo, tibi potestatem facimus, dum celebrationibus inaugurationis praesidebis, illum coetum, publicas auctoritates atque universos christifideles Nostro nomine salutandi ac benedicendi, quos cohorteris, ut, Beata Maria Virgine Macarena maternam suam dispensante caritatem, popularis fidelium pietas, Spiritus Sancti amoris igne succensa, altum spei iter ingignat atque, sicut modo Nos Ipsi diximus, systema immunitarium multis ab Ecclesiae subdolis periculis. Simul, insuper, gravissimum Nostrum ministerium Petrinum precibus committimus universo coetui ibi congregato.

Dum tibi, Venerabilis Frater, benedictionem impertimur omnibus, qui celebrationi intererunt, transmittendam, legationem tuam ardentibus precibus comitamur, a Deo misericordiae suppliciter obsecrantes, ut hic Congressus Confraternitatum quae diligentia perscrutatur semper ea teneat in opere.

Datum Romae, Laterani, die XXI mensis Novembris, in memoria Praesentationis Beatae Mariae Virginis, anno Domini MMXXIV, Pontificatus Nostri duodecimo.

FRANCISCUS
